

## AD M. LUTHERVM.

tutem eiusmodi, qualis in seminibus adparet, præsentia eã comprobet, & ultro palmam dabimus. Nobis siquidem nihil impossibile, nihil absurdum adeo, quod Deo tribuere uerebimur, si quis doceat, id per scripturam ei tribuendum. Quod autem adiicit: si dogma tueri est argumentis solidis pugnare, & conscientias securas reddere, uerum est illos nedum unam cœpisse chartulam scribere, uolo inter reliquas Lutheri numerare hyperbolas.

## RESPONSIO AD VNDECIMVM.

XI.

Hic uide candorẽ hominũ. Hãc Epistolã Lutherus misit Heruagio, ut denuo excuso Quarto Tomo, adijceretur, eam, & ut supra testatus sum, me autore erat Heruagius excusurus, adeo non fugio, iudicium Ecclesiarum, idq; respondit se facturum Secerio, simulatque ille eam misisset, & an excudere uellet, rogasset. Sed licet Heruagio autographum suum Lutherus misisset, quod adhuc habemus, Secerius nescio à quo commendatum exemplar, non expectato responso, quod intra triduum datum fuit, excudere cœpit, pro Heruagij nomine, N, posito, postea respondit ita se facere fuisse coactum. Quis iam huic dedit exemplar, quod Lutherus obsignatum, suaq; manu scriptum misit Heruagio? Quis coegit excudere seorsim, quod antidoti uice Lutherus petijt, adiungi Quarto Tomo?

E 2 Videtis